
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
43814
kat. komp.
I Mag. St. Dr. P

Wosiński Stanislai: Quaestio medica de febre maligna.

QVÆSTIO MEDICA.
DE FEBRE MALIGNA.

PRO LOCO

Inter Clarissimos & Excellentissimos

Medicinæ DOCTORES & Professores,

IN

Celeberrima Academia Cracouiensi obtinendo.


BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

PUBLICE

A M. STANISLAO WOSINSKI,

Philosophiæ & Medicinæ DOCTORE

Consule Cracouiensi S. R. M. Secretario.

PROPOSITA.

IN COLLEGIO MAIORI

D. IAGIELLONIS

Lectorio DD. Theologorum.

Anno Reparatæ Salutis M. DC. LXXVI.

Mense Ianuario. Die IX. Horâ.

CRACOVIÆ. Typis UNIVERSITATIS.

Medyc 68 7.

IN STEMMA ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS.



43814

I

Alma Coronatis gaudet Sapientia Sceptris
Regia Sarmatici, quod sit Alumna Throni.
Orbis Hyperboreus sapit, hâc fruiturq; Magistrâ,
Quæ Sceptris numerat, sæcula terna suis!
Nempè Crucem Sceptris, quod iunxerit omnia dextr
Vincit Academicus, cum pietate labor.

QVÆSTIO.

VTrum Febris Maligna, ſit de Genere Febrium Putridarum, Continuarum, Acutarum: differat à Febre Peſtilenti, & à Peſte gradu perniciei: proueniatq́; ex Putredine excellenti totius Maſſæ ſanguineæ cum Venefica quadam qualitate, in Venis maximis & Cordi proximis, & rectè cum ſuis Symptomatibus curetur, per Chirurgiam, Pharmaciam, & Diætam, nec ne?

CONCLVSIO I.

Febris Maligna eſt de Genere Febrium Putridarum, Continuarum, Acutarum.

COROLLARIA.

1. *Febris eſt calor præter naturam, accenſus in Corde, & in totum deindè Corpus diffuſus, lædens actiones primò & per ſe vitales, ſubindè etiam Naturales, & Animales.*
2. *Maligna Febris dupliciter dicitur: Vno modò propriè, ſicuti in præſenti Concluſione accipitur: alio impropriè, & eſt Febris, cui peiora, quàm pro ſuæ Eſſentiæ ratione Symptomata adiunguntur, nullâ tamen venenatâ ſtipatur qualitate.*
3. *Febris Putrida originem habet ex humorum putredine.*

 4. *Putre-*

4. *Putredo est mutatio totius Substantiæ corporis putrescenti ad Corruptionem, à calore externo.* Gal. 2. Meth. 8.

5. *Continua Febris est, quæ nunquam intermittit, cum putredinis sedem obtineat intra vasa maiora, vndè putridi ad Cor continuò feruntur vapores.*

6. *Acuta Febris est, quæ celeriter mouetur, & est cum periculo.*

CONCLVSIO II.

Febris Maligna à Febre Pestilenti & à Peste differt gradu perniciei.

COROLLARIA.

1. *Tàm in Peste, quàm in Febri simpliciter Pestilenti, pleriq; ægrotantium moriuntur, & Contagium adest. In Peste tamen & Contagium & pernicies maiora sunt, quàm in dicta Febre Pestilenti.*

2. *Febris Maligna minùs perniciosa est, quàm Pestilens simpliciter, magis tamen quàm Putrida non maligna: minùs etiam Contagiosa est, immò & sæpiùs Contagio prorsus caret. Vndè licet omnes eâ laborantes periculosissimè ægrotent, pleriq; tamen sanantur.*

3. *In Peste & in Pestilentibus Febribus excitatur Putredo, non tàm ex Causis, à quibus aliæ Febres Putridæ producuntur, sed à venenata seminarij Contagiosi vi: in Malignis autem suscitatur Putredo ex jisdem Causis, vt in Putridis Communibus.*

4. *In Malignis Febribus, non est tanta Symptomatum vehementia, neq; Bubones, neq; Carbunculi, vt in Peste & in Pestilentibus Febribus.*

5. Fe-

5. *Febres malignæ sæpè Epidemicæ sunt, sæpissimè tamen Priuatæ sunt & sporadicæ: Febris simpliciter Pestilens nonnunquam est Sporadica, sed sæpius est Epidemica: Pestis semper est Epidemica, nunquam verò Sporadica.*

6. *In hoc tamen Febris maligna & Pestilens conueniunt, quod in vtraq; duo reperiuntur: Primò Putredo, à qua habent vt Putridæ Febres sint. Secundò Perniciosa & venefica qualitas, ex cuius intensiori vel remissiori gradu Pestilentes vel Malignæ constituuntur Febres.*

CONCLVSIO III.

Febris Maligna pendet ex Putredine excellenti, totius Massæ sanguineæ, cum venefica quadam qualitate, in Venis maximis, & Cordi proximis.

COROLLARIA.

1. *Si Putredo humorum non sit excellens, nec terminum Corruptionis attigerit, Febrem simpliciter Putridam parit.*

2. *Quodsi excellens fuerit, & ad Corruptionem peruenerit, tunc Venenatam qualitatem parit, & Febrim producit Malignam vel Pestilentem, pro gradu Perniciei maiore vel minore.*

3. *Venenata qualitas non consistit in simplici Putredine, nec in Elementaribus qualitatibus, sed in occulta quadā prauitate.*

4. *Quamuis Febris Maligna semper proueniat à Putredine Massæ sanguineæ supra dictæ, in hac Causa est aliqua differentia, pro varia Massæ sanguineæ dispositione: nam vel Bilis, aut alius Humor in sanguine superat, vel nullus.*

5. Hinc Febres malignæ, Synocharum naturam referunt, aliquandò aliarum Febrium Continuarum more incipiunt cum horrore, & certas quasdam habent exacerbationes.

6. Causa Mediata Febris Malignæ est morbosus apparatus, consistens: vel in Plethora, vel in Cacochymia, vel in obstructionibus.

CONCLVSIO IV.

Febris Maligna curatur per Chirurgiam, Pharmaciam, & Diætam.

COROLLARIA.

1. Quoad Chirurgiam: Sanguinis missio convenit in Febribus Malignis, & si putredo magis infesta sit, quàm venenata qualitas etiam reiterari debet, præsertim in principio. Si verò ob virium imbecillitatem non possumus mittere sanguinem à venis maioribus, etiam Hirudines, tàm venis Hæmorrhoidalibus, quàm Cruribus, & Cucurbitulæ scarificatæ, tùm etiam siccæ pro simplici Revulsione sunt applicandæ, ut & Frictiones extremarum partium sæpius repetendæ. Vesicatoria in varijs Locis pro opportunitate, quia potenter attrahunt pravos & venenatos Ichores, & revellunt, conveniũt.

2. Quoad Pharmaciam: Curatio Febris Malignæ dirigenda est ad Febrem, Putredinem, & Malignam seu Veneficam qualitatem.

3. Febris ut Febris oppugnanda est Refrigerantibus & Humectantibus, ut sunt Emulsiones ex Amygdalis dulcibus, seminibus frigidis maioribus & minoribus: Iulepi alterantes ex Aquis Acetosæ, Scorsoneræ, Pimpinellæ, Buglossæ, Endiviæ,

Cicho-

Cichoreæ: cum Syrupis de succo Limonum, de Acetositate Citri, de succo Acetosæ, & similibus. Putredo Euacuantibus & Alterantibus; & ideò Natura adiuuanda ijs Remediis quæ aperiunt, Humores incidunt, ebullitionem & Putredinem sistunt, Febris feruorem extinguunt, è quibus semper eligenda & admiscenda quæ malignitati resistunt, vt Acetosa, Scordium, Carduus benedictus, semen Citri, Radix, Scorsonera, succus & Syrupus Citri, Oxysaccara; venefica verò & maligna Qualitas Alexipharmacis, quæ in Iulepis, Iusculis, Aquæ Potûs Ordinarij, & omnibus quæ assumuntur, exhibenda: vt sunt Lapis Besoar, Radix Contraherua, Spiritus vitrioli, & Sulfuris: sal Prunellæ, Magisteria Corallorum, Margaritarum, Cornu Cerui; Os de Corde Cerui, vnicornu, Smaragdi præparati, Hyacinthi præparati, Rubini & alij pretiosi Lapides præparati, Radix Scordij: Puluis Cordialis pretiosus Gedanensis, Mistura de Tribus. Confectiones, Alchermes, Hyacinthina, Smaragdina. Aquæ Cordiales, Herculis Saxoniæ, Cinamoni S. V. Theriacalis, Florum Calendulæ, Scabiosæ, Carduibenedicti.

4. *Epithemata quæ Cordi applicari debent, non sint valdè adstringentia & Repellentia: sed in Actiuis qualitatibus temperata, in reliquis moderate siccent, & imprimis peculiari facultate Cor roborent, vt ex Aquis Melissæ, Fragarum, Rosarum, Buglossæ, Boraginis, ex Aceto Rosarum & Carryophillorum, speciebus Cordialibus temperatis, Puluere pro Epithemate Cordiali, Oleo Ligni Rhodij, Mathioli, & similibus.*

5. *In Febre Maligna Coctio est expectanda in exhibendo Pharmacum; nisi quid magis vrgeat, cuiusmodi est potissimum*

Mate-

Materia turgens, Materia Maligna, materia partem principalem petens, Materia etiam Concoctionis incapax, in quibus Casibus etiam in principio nullâ expectatâ Concoctione, si non Eradicatiuè, Minoratiuè saltem purgare possumus. Euacuatio etiam per sudores apprimè conuenit, quæ etiamsi post Coctionem & Purgationem vtiliùs procuretur, tamen alijs etiam temporibus vtilis esse consueuit, præsertim si natura ad eos inclinare videatur.

6. *Quoad Diætam: Cum morbus hic sit ex Acutorum numero, victus Acutis morbis conueniens, instituendus, Tenuis præcipuè in principio Febris. Progressu verò temporis, dum vires debiles apparent, medium tenere debemus, iuxta doctrinam Mercurialis. Offerenda itaq; sunt Brodia Consumpta, Panis in iure Pulli, Ptisanna: Quodsi maiori Refectione virtus debilior egere videatur, Contusæ Carnes, Ius Destillatum Caponis, Oua recentia exhiberi possunt. Vinum non conuenit antè eruptionem Exanthematum, post apparitionem tamen eorum, vbi omnia Symptomata remiserunt, parum vini Oligophori conceditur, assuetis potissimum. Eius locò danda Aqua Hordei, vel Potus domesticus si inualuerit Calor: Aqua Cinamoni S. V. si stomachi debilitas: Aqua cum succo Citri si malignitas. Aluus si non quotidiè, alternis saltem diebus Enematibus, Lubrica seruanda erit. Omnes mæstitiæ, Ira, & timor fugiantur. Aër debet magis ad frigidum accedere, gratisq; odoribus alterari: impediri tamen optimis tegumentis debet, ne frigidus aer corporis superficiem attingat, ne Cutis meatûs constipando, & putridorum vaporum exhalationem probibendo, Peticularum eruptionem impediat.*

CON-

CONCLVSIO V.

Symptomata quæ Febribus Malignis accidunt curanda sunt, ad integrum Curationis complementum.

COROLLARIA.

1. In dolore Capitis, Vigilijs, Delirio, & Conuulsionibus, conueniunt Reuellentia omnis Generis, Repellentia, & Deriuantia.

2. In Linguæ Inflammatione, siccitate, & Nigredine conueniunt magis Refrigerãtia cum Humectãtibus in forma Gargarismi.

3. Sitis feliciter extinguetur duobus præsertim Remedijs, nempè sale Prunellæ & spiritu vitrioli, in Iulepis & Aqua Potûs Ordinarij.

4. In Petechiarum expulsione Naturam semper iuuare oportet, vndè non facilè ijs apparentibus sanguis mittendus. At si sanguinis mole Natura grauetur, venæ sectione non solùm non impeditur Petechiarum expulsio, sed etiam promouetur. Si verò hæc Symptomata comitentur Febrem Malignam, vt Cataphora, Coma, Lethargus, vesicantia sunt applicanda.

5. Alui Fluxus si moderatus sit, vt vires non deijciat, cohibendus non est, sed Enematibus Corroborantibus moderandus. Si verò immodicus & vires admodum deijciat, Colliquatiuus esse consueuit, & ideò audacter cohibendus.

6. Inappetentia curari debet Euacuatione Causæ morbificæ per vomitum & secessum: præterea exhibenda sunt frequenter Acida & Refrigerantia.

A. M. D. G. B. M. V. H.

SVB FELICIBVS AVSPICIIS.

Perillustris, Magnifici, & A. R. Domini,

D. M. SIMONIS STANISLAI MAKOWSKI.

Sacræ Theologiæ Professoris Collegæ Maioris, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Canonici S. R. M. Secretarij.


Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Generalis RECTORIS Vigilantissimi.

Decanatu In Inclyta Medica Facultate

Clarissimi & Excellentissimi Domini,

D. M. HYACINTHI ŁOPACKI.

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris & Professoris, Consulis Cracouiensis Dignissimi.



BIBLIOTHECA JAGELLONICA

3 ... 75


Biblioteka Jagiellońska
stdr0013454